



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1128 8° copy 1




Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1128 8° copy 1




Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1128 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1128 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1128 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1128 8° copy 1

7, - 116.

DA Box

LN 1128
ex. 1
M

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1128 8° copy 1

+

Illustrissimo, summaeq
Spei, ac verè Regiae
indolis Principi, Dn:
Christiano IIII. Do=
mino meo Clementissimo.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1128 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1128 8° copy 1

CONCIONES QVÆ IN TRIBVS DIEBVS,

Publicarum precationum, 25. 26. 27. Ianuarij, Eccleſiæ propo-nentur.

P. MATTH:



HAFNIÆ,
Impreßit Matthias Vinitor.
ANNO.
M. D. LXXXV.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1128 8° copy 1

AMBROSIVS
lib: de pœnit:

MVlti animi, dum congre-
gantur vnanimes, fiunt
magni, & multorum preces
impoſsibile eſt con-
temni.

CON,

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1128 8° copy 1

CONCIO PRIMÆ Diei.

Ieremiæ 5.

CIrcuite per vicos Ieruſalem, & videte quæſo, conſiderate & quærite, in plateis eius, an poſſitis vnum aliquem inuenire, qui recta faciat, & veritatem quærat, & propitius ero illi. Ac vt maximè dicant, Viuit Dominus, tamen falſò iurāt. Domine oculi tui fidem reſpiciunt, Tu percutis eos, ſed ipſi non ſentiunt dolorem, affligis eos, ſed non emendantur, Duriores ſaxis ſunt facies eorum, & nolunt conuerti.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1128 8° copy 1

EXORDIVM.

EA eſt hodie, triſtiſſima rerum omnium facies, vt quocunq; oculos circumferamus, nihil appareat, quod non iratum Deum monſtret, eiuſdemq; iuſtiſſimas pœnas nobis minitetur. Nam vt cætera taceam, quis non fatebitur, ſæuiſſimam peſtem, quæ aliquot nunc annis, paſſim graſſatur, certiſſimum eſſe iræ Diuinæ indicium? Et tamen pleriq; proh dolor, quaſi ſtertentes, vel nihil, vel parum admodũ, tanta tamq; diuturna calamitate mouentur, tantum abeſt, vt vera aliquis pœnitentia, ſeſe ad Deum conuertat, præſenteſq; ac imminentes pœnas, ſeriò deprecari ſtudeat.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1128 8° copy 1

Rex autem noſter clementiſſimus, quæ ſingularis eius eſt, cùm erga Deum pietas, tum erga ſubditos φιλοσοργία, verè agnoſcit tam graues pœnas, ab irato Deo, nobis infligi, ideoq́ ſeriò ac piè cogitat, de ira Dei placanda, vt præſentia mala, clementer vel tollantur, vel mitigentur. Quod cùm nulla alia ratione fieri poſſit, quàm vt vera, non ſimulata pœnitentia, à Deo irato, ad Deum miſericordem confugiamus, mandauit ſereniſſ: eius Maieſtas, hiſce tribus diebus continuis, ſolenni ritu, in omnibus Eccleſijs, cùm in regno Danico, tum in Ducatibus, eius Maieſt: ſubiectis, publicas preces fieri, vt coniunctis precibus, præſentes ac imminentes pœnas, ſeriò

deprecemur. Hoc tam pium, pijſſimi Regis mandatum, cùm & nobis ipſis vtile ſit, & ipſi Deo maximè gratum, qui, iuxta dulciſsimam ſuam promiſsionem, etiam iureiurando confirmatam, Viuo ego &c. *nulla re alia magis delectatur, q̃ꝫ hominis emendatione & ſalute, nemo, niſi planè impius, & tam priuatæ, quam publicæ ſalutis negligens, contempſerit.*

Agite igitur, excuſſo omni veterno, accuſemus noſtram ſecuritatem, qui etiam in medijs periculis, non metuimus potentiam iuſtiſsimæ iræ Dei, imò ne cogitamus quidem. Agnoſcamus optimi Regis erga nos, affectum verè paternum, qui ſuo nos exemplo, ad ſeriam pœnitentiam inuitat, & ſepoſitis alijs

auoca-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1128 8° copy 1

auocamentis omnibus, frequentes triduum hoc conueniamus, noſq; exuſcitemus, vt Deum, veluti manu facta, votis ac precibus noſtris ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata eſt, ſicuti teſtatur exemplum Moſis orantis pro populo, Ex:32.

Oro autem filium Dei, qui ſedet ad dexteram Patris, interpellans pro nobis, excitet in nobis Spiritum illum gratiæ & precum, animoſq; & corda noſtra Spiritu ſuo S. gubernet, vt omni ſepoſita hypocriſi, in vero Dei timore, ſolennibus hiſce precationum diebus, frequentes conueniamus, faciatq; vt preces noſtræ, quas in nomine eius fundimus, Deo gratæ & acceptæ, eiuſq; Eccleſiæ & Scholis, Regi noſtro clementiſsimo, illuſtriſsimæ Regi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1128 8° copy 1

næ, iuniori Principi, cæteriſq́ liberis Regijs, Regnis quoq́, Ducatibus & Prouincijs, nobiſq́ ipſis & familijs noſtris, vtiles & ſalutares eſſe poßint, Amen.

Nunc ad textum, quem ſuprà recitari audiuiſtis, accedamus, quē, docendi cauſa, in tres partes diuidamus.

1. In prima parte, recitatur primùm, triſtißima querela, qua Propheta oſtendit omnes homines reos eſſe peccati: Deinde dulcißima promißio, quòd Deus, vel ob vnum aliquem pium, toti multitudini ſæpiùs parcat.

2. In ſecunda parte taxat eorum hypocriſin, & ſimulatam ſanctimoniam.

3. In

3. *In tertia parte, grauiter conqueritur de nimia Iudæorum obſtinatione, qui nullis plagis diuinis emendantur.*

DE PRIMA Parte.

EA eſt omnium φιλαυτία, *vt ſe, tanquam iuſtos, Peccatorum numero eximant, Verùm Propheta, hac tam graui querela, omnes homines, abſq; vlla exceptione, peccati reos arguit. Sunt autem ſingula verba, diligenter ponderanda* Circuite, inquit, per vicos Ieruſalem, *q: d: perluſtrate non vnum vicum aut alterum, ſed omnes totius Ciuitatis vicos, domos, angulos, idq; non oſcitanter, ſed quanta poteſtis dili-*

*gentia, Id enim indicant verba ſe-
quentia:* Videte quæſo, conſiderate & quærite. *Sed quid quæſo tanta diligentia quærendum?* An poſ-
ſint vnum aliquem inuenire, qui recta faciat, & veritatem quærat. *Hæc quidem grauis admodum, & triſtis eſt querela de nimia Iudæorum malitia, Sed agite, inſtituatur ſimilis inquiſitio, etiam in noſtris plateis, quales quæſo hodie inueniantur homines?* ἄθεοι *pleriq;, blaſphemi,* ἄστοργοι, *homicidæ, ſcortatores, adulteri, fures, vſurarij, impoſtores, pauperum oppreſſores, dolos ac fraudes concinnantes, potatores, commeſſatores, aleatores. Hæc tam atrocia ſcelera, quibus Deus ipſe, grauiſſimas pœnas denunciat, quis non videt, vſq; adeò apud omnes omnium ordi-*

num

num homines inualuiſſe, vt etiam pro virtutibus, à pleriſq; habeantur? Nos interim, ex hac tam graui Prophetæ querela, diſcamus in nos ipſos deſcendere, & in ſuum quiſq; ſinum, quod dici ſolet, manum mittamus, vt ſordes noſtras aſpicientes, nequaquam Peccatorum nos numero eximamus, ſed agnoſcamus iuſtè nos, vt alios õnes, peccati reos accuſari, quemadmodum aperta Scripturæ teſtimonia demonſtrant: Pſ: 15. 53. Eccl: 7. Rom: 3. & ſua quemq; conſcientia firmiter conuincit, vt diſcamus nos humiliare, coram iuſtiſſimo Dei tribunali, veriſq; cordis noſtri gemitibus, cum Dauide precari: Domine ne intres in iudicium cum Seruo tuo, &c. Pſ: 143.

Deinde addit Propheta dulciſ-

ſimam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1128 8° copy 1

ſimam promiſsionem, quòd Deus, etiam propter vnum aliquem pium, toti multitudini parcere velit. Sicut enim, propter paucorum petulantiam, ſæpe delentur totæ gentes & ciuitates, vt propter ſtupratam Leuitæ coniugem, ferè tota tribus Beniamin deletur: Ita Deus, propter vnum & alterum pium, parcit magnæ multitudini, quemadmodū hîc, vnius cauſa, ſe vrbis totius miſerturum eſſe pollicetur, & teſtatum facit, pulcherrimo iſto colloquio, cum Abrahamo, quod recitatur Gen: 18.

Illud iuſtitiæ, hoc miſericordiæ Diuinæ, acceptum eſt ferendum.

DE

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1128 8° copy 1

DE SECVNDA Parte.

Eſt & hoc vicium, natura omnibus ingenitum, vt externa quadam, & fucata ſpecie ſanctitatis, Deo placere ſtudeant. Verùm Propheta, huiuſmodi hypocriſin grauiter taxat, oſtendens Deum non falli huiuſmodi fucis, qui non, vt homo, ea tantùm videt, quæ apparent, ſed cor ipſum intuetur, 1. Reg: 16. neq; ſpectat ad externam laruam operum, ſed ad internam, et ſolidam cordis fidem. Tales hypocritas Chriſtus ipſe repræhendit, Matth: 15. Populus hic, inquiens, labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. Et Deus, pluribus in locis, per Prophetas, deteſtatur hanc hypocriſin,

pocriſin. Pſ: 50. Eſa: 1. &c. Nihil igitur eſt, quòd ſtatuamus nos Deo placere, etiamſi ad eius mandatum, per nomen eius iurando, videamur illũ, Deum noſtrum agnoſcere, qui ſolus fons eſt & author vitæ, niſi etiam in corde adſit vera & viua fides, in quam oculi Dei reſpiciunt. Sed de hac doctrina, rurſum dicetur in ſecunda concione.

DE TERTIA Parte.

Eſt et hæc grauis admodum querela, qua Propheta deteſtandam peruicaciam Iudæis exprobrat, qui nullis, vel minis, vel pœnis Diuinis emendantur, imò magis obdurantur. Hæc querela, etiam de no-

ſtræ

ſtræ ætatis hominibus, meritò vſurpabitur. Quotuſquiſq; enim noſtrum eſt, qui diuinis vel comminationibus, vel plagis admonitus, ſeriò de vitæ ſuæ emendatione cogitet? Percutit quidem nos Deus, ſed nullum ſentimus dolorem: Affligit nos, ſed pauci admodum, proh dolor, emendamur, vſq; adeò facies noſtræ obduruerunt, vt iam vel ſaxis duriores ſint, nec vlla ampliùs ſpes ſit ſecuturæ emendationis

Vidimus proximis ſuperioribus annis, idq; breui temporis ſpacio, duos horribiles cometas, iuſtiſsimæ iræ diuinæ, quod euentus docuit, nuncios. Sed cui quæſo, hi tam horrendi aſpectus, metum aliquem iræ Dei incuſſerunt? Suſtinuimus iam antea bellum illud Sueticum,

cum,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1128 8° copy 1

cum, difficile ac diuturnum: Experti ſumus rerum omnium caritatem: Conflictati ſumus iam multis annis, cum ſæuiſsima peſtilentia, quæ nec dum deſijt. Hócne eſt percuti & affligi à Deo? Sed quotuſquiſq; eſt, qui tantis calamitatibus emendatus, de vita & moribus in melius mutandis, ſeriò cogitat?

Deus quidem, tanquam benignißimus Pater, oſtendit nobis manifeſtiſsima iræ ſuæ ſigna, non ſolùm minitantia, ſed etiam punientia, vt nos ad vitæ emendationem inuitet: Verùm nos, malùm, ſpreta & contempta, omni paterna admonitione & caſtigatione, cæco quaſi impetu, in quæuis flagitia ferimur, & peccata peccatis furenter

cumu-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1128 8° copy 1

cumulamus, quæ grauiores adhuc pœnæ, ac finalis tandem interitus, breui ſequetur, niſi maturè reſipiſcamus.

Sed vnde, quæſo, eſt tanta hominum duricies, & in peccatis obfirmatio? Hæc proficiſcitur non ſolùm ex naturæ noſtræ vitioſitate, quæ fomes eſt omnium malorum, verùm etiam ex ipſo Diabolo, qui nullam circumueniendi nos occaſionem prætermittit, 1. Pet: 5. quiq́, vt eſt mille artifex, ſingulari aſtutia peccatum extenuat, & fucato colore ſic pingit, ne peccatum eſſe appareat, quemadmodum triſtiſſimum primorum noſtrorum parentum exemplum teſtatur. Verùm ne hoc fuco fallamur, cogitemus eiuſdem latentem fraudem, qui

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1128 8° copy 1

detracto colore, ita peccati atrocitatem exaggerat, vt miſerum peccatorem, in deſperationem & æternum exitium præcipitet, ſicuti Caini, Iudæ, aliorumq́ue triſtiſsimus exitus ſatis oſtendit.

Deinde hæc obſtinatio, non parum confirmatur licentia, & impunitate peccandi. Vbi enim ceſſat Magiſtratus, nec facit ſuum officium, in ijs puniendis, qui ſceleratè viuunt, ianuam licentiæ alijs aperit. Verùm ne propter hanc impunitatem perſeueremus in peccatis, cogitemus nos alium, & quidem ſuperiorem, habere Magiſtratum in cœlis, qui iuſtum aliquando exercebit iudicium, aduerſus omnes ſceleratos, etiamſi hic Magiſtratus ad eorum

ſcelera,

ſcelera, non ſine ſuo, & aliorum magno malo, conniueat.

Huc accedit longanimitas Dei, quâ nos ad peccandi licentiam, ſceleratè abutimur, quemadmodum Eccleſiaſtes grauiter conqueritur, cap: 8. Quia non profertur citò, contra malos ſententia, abſq; timore vllo, filij hominum perpetrant mala. Verùm, ne in noſtram perniciem, abutamur Dei longanimitate, cogitemus eâ nos ad pœnitentiam vocari, quemadmodum perſpicuè docet Paulus, Rom: 2. Huc facit pulcherrimum illud dictum Auguſtini: Quando habemus tempus miſericordiæ, non nobis blandiamur, nõ dicamus: Semper parcit Deus, Ecce, feci heri, & pepercit: facio & hodie, & parcit Deus, faciam et cras,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1128 8° copy 1

& parcet Deus. Attendis ad miſericordiam, et non times iudicium: Si vis cantare miſericordiã, et iudiciũ intellige: quia ideo parcit, vt corrigas, nõ vt in malignitate permaneas.

Agnoſcamus igitur etiam nos peccata noſtra, quæ & multa ſunt & magna: nec ſimus ἀπηλγηκότες, ſed agnoſcamus iram Dei aduerſus peccatum: neq; contemnamus pœnas, quibus propter pccata noſtra affligimur, ſed accuſemus noſtram duriciem, & demiſſa fronte, accedamus ad Deum, eumq; veris cordis gemitibus oremus, corda noſtra, pluſquàm ferrea et ſaxea, emolliat, vt omnibus vitijs, prauiſq; concupiſcentijs iugulatis, nouitati vitæ perpetuò ſtudeamus, de qua ſequente concione, Deo volente, dicetur pluribus.

CON-

CONCIO SECVNDÆ Diei.

Ierem: 7.

HÆc dicit Dominus exercituum, Deus Iſrael: Emendate vitam & mores veſtros, & habitabo vobiſcum in loco iſto. Nolite ſpem collocare in verbis mendacij, dicentes: Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini. Sed emendate veſtram vitam et veſtros mores, & iuſtitiam inter vos exercete, nec iniuriam facite peregrino, pupillo & viduæ, & ſanguinem innocentem non effundite in iſto loco, & poſt Deos alienos non ambulate, magno veſtro malo, quod ſi facietis, habitabo vobiſcum in omnem æternitatem in loco iſto.

DIctum eſt heri, de communi omnium noſtrum miſeria, qui, ſine vlla exceptione, neceſſe habemus, nos peccati reos, coram Deo agnoſcere, neq; quicquam probari Deo, quantumuis hominibus ſanctum ac religioſum videatur, quod non ex vera fide proficiſcitur: Sed homines, faſcinatos hac falſa opinione iuſtitiæ, ita tandem obdurari, vt nec agnoſcant iram Dei aduerſus peccatum, nec pœnis vllis emendentur. Nunc commodè proponitur altera hæc concio, ex eodem Propheta deſumpta, in qua conatur Iudæos excitare, vt promiſſiones & comminationes Propheticas,

non aliter habeant, atq; ab ipſo Deo profectas, vt territi metu pœnarum, vitæ emendationi ſtudeant, quod ſi facient, promittit Deum perpetuò ipſis propitium futurum.

Tres igitur potiſsimùm doctrinas hinc deſumamus.

1. *Quanta meritò, apud omnes pios, eſſe debeat verbi vocalis authoritas.*

2. *Vanam eſſe & ſtultam, omnem noſtram de Deo gloriationem, niſi adſit ſeria vitæ morumq; emendatio.*

3. *Deum verè pœnitentibus, diuina ſua præſentia, perpetuò adfuturum.*

DE PRIMA
Doctrina,

MAgna eſt multorum hominum profanitas, qui verbum Dei, non pluris faciant, quàm anilem aliquam fabulam, quemadmodũ blaſphemus quidam Cardinalis, dixiſſe fertur: *Quantum profuit nobis fabula de Chriſto:* ideoq́; nullis vel promiſsionibus, vel comminationibus Diuinis, ad vitæ emendationem mouentur; ſed rident & contemnũt omnes ſanas admonitiones, tanquam inania hominum terriculamenta, & furenter nouis ſe ſceleribus quotidie polluunt. Verùm Propheta, hanc falſam opinionem refellit, dum ait: Hæc dicit DOMINVS exercituum, Deus Iſrael.

rael. Nam hac loquendi formula, & id genus alijs, DOMINVS, vel, Os DOMINI locutum eſt, quæ ſanctis Dei Prophetis familiares ſunt, perſuadere vult auditoribus, doctrinam quam profert, non in ſuo cerebro natam, ſed veluti ex ore Dei exceptam eſſe. Quare nemo contemnat verbum, propter vilitatem docentis, qui eſt miniſter Christi, & præco Dei, pro quo legatione fungitur: Imò non aliter audiendus eſt miniſter verbi, in Eccleſia docens, quàm ſi Chriſtus ipſe, è ſuggeſtu concionaretur, quemadmodum Chriſtus inquit, Luc: 10. Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit.

Audis dulciſsimas Euangelij promiſsiones, eas firma fide, ſine vl-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1128 8° copy 1

la dubitatione, tibi applica, quia non hominis, ſed Dei ſunt promiſſiones, qui verax eſt, & promiſſa fideliter præſtat. Audis horribiles Legis comminationes, agnoſce delicta tua, & maturè reſipiſce, quia non hominis ſunt comminationes, ſed Dei, qui pro ſua iuſtitia, ſeueriſſimè in omnes impœnitentes animaduertit. Nam etſi tardior interdum ad vindictam, Diuina ſit prouidentia, tamen tarditatem grauitate pœnæ compenſat, quemadmodum triſtiſſima exempla, vniuerſalis diluuij, deletæ Sodomæ, & alia multa confirmant.

DE SECVNDA Doctrina.

Seria

SEria eſt & grauis exhortatio ad veram pœnitentiam, quæ vt Deo grata ſit, & homini ſalutaris, duo potiſſimùm in ea Propheta requirit.

PRIVS eſt, vt à vera pœnitentia, omnis abſit hypocriſis. Eâ enim ita faſcinantur hominũ mentes, vt neq; agnoſcant iram Dei aduerſus peccatum, neq; pœnas vllas metuant, ſed qualibuſcunq; folijs fici, peccatorum ſordes tegere, ſeq; externa quadam vitæ ſanctimonia, iuſtos coram Deo oſtentare ſtudeant. Sed Propheta grauiter hîc monet, ne vana iſta perſuaſione, ſe ipſi decipiant, neq; foueant inanes ſpes, confidentes ſibi in verbis mendacij, dicentes: Templum Do-

mini,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1128 8° copy 1

mini, Templum Domini, Templum Domini. *Sic enim perſuaſi erant miſeri Iudæi à Pſeudoprophetis, vt omnino confirmati eſſent, Deum nullo vnquam tempore, ciuitatem deleturum, propter templum illud magnificentiſsimum, cui coniunctæ erant promiſsiones Dei, ideoq́ꝫ, de templo, tanquam certiſsimo & infallibili promiſsionum Diuinarum teſtimonio, ſuperbè gloriabantur, ſpretis et contemptis, omnibus Prophetæ comminationibus, quibus & ciuitatis euerſionem, et triſtiſsimum populi exilium Babylonicum prædixit. Verùm cùm manerent impœnitentes, Deus neqꝫ templo, licet ſplendidiſsimo, neqꝫ vrbi, propter templum pepercit, ſicuti triſtiſsimus euentus docuit.*

Et

Et quid, quæſo, aliud apud nos fit hodie, in tanta Euangelij luce? Gloriamur de vera religione, de puro & incorrupto verbo Dei, de Euangelio, de fide, quam plenis buccis iactamus: His ita nobis placemus, quaſi in ſinum Abrahæ collocati, extra omnem fortunæ aleam poſiti eſſemus, Ideo ſecuri contemnimus omnes comminationes & pœnas Diuinas.

Accedimus ad templum, audimus ſacras conciones, ſed animo plerunq; alibi peregrinante, vtimur, imò veriùs abutimur, ſacroſancta Domini cœna, ad quam accedimus, abſq; vllo vero cordis motu, tantùm vt ſit veluti externum tegumentum, vitiorum intus latentium: Celebramus dies precationum,

& vix

& vix triduum Curios ſimulamus, toto deinceps anno Bacchanalia viuentes, potando, ludendo, ſcortando, & innumera alia vitia, liberè et impunè, ſine vllo iræ aut vindictæ Diuinæ metu ſectando. Interim confidenter ſtatuimus, nos Deum habere propitium, qui conſeruabit Eccleſiam ſuam & veram religionem, nec ſinet Regnum hoc florentiſſimum, quod tantis donis, præ alijs multis ornauit, aliquando euerti: Sed longè fallimur, niſi enim maturè reſipiſcamus, idem, abſq; omni dubio, nobis eueniet, quod obfirmatis Iudæis, Deus enim auferet à nobis verbum ſuum: Sequetur triſtiſſima ruina Eccleſiarum & Scholarum: Diſſipabuntur familiæ, & expectanda nobis erit, totius Regni

extrema

extrema calamitas, donec tandem Turcica et Mahometica feritate & barbarie, omnia inuoluantur.

ALTERVM, quod in vera pœnitentia Propheta requirit, eſt vitæ & morum emendatio. Emendate, inquit, veſtram vitam, & veſtros mores. Deus enim non fallitur vlla hypocriſi, neq; delectatur fide iſta, quæ tantùm hæret in extremitate labiorum ſed viuam requirit fidem, quæ ſtudium nouitatis vitæ, veluti indiuiduum comitem, ſibi adiunctum habet. Hortatur igitur hîc Propheta, vt ſepoſita omni hypocriſi, & falſa iuſtitiæ perſuaſione, vitam & mores ſuos emendent, quod vt altiùs eorum animis infigatur, quod in genere dixit, ſpeciatim recenſet.

Iuſti-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1128 8° copy 1

1. *PRIMVM eſt, quod in vitæ emendatione requirit, nimirum vt iuſtè inter ſe agant, nemo alterum perfidè circumueniat, ſint contractus honeſti ac liciti, à quibus omnis dolus & fraus longè abeſſe debet. Hanc iuſtitiam Chriſtus breui regula complexus eſt, Matth: 7. Omnia quæcunq; vultis vt homines faciant vobis, eadem facite illis.*

Qualis autem nunc paßim exerceatur iuſtitia, nimis, proh dolor, notum eſt. Opprimuntur multis in locis, miſeri ſubditi iniuſta vi & tyrannide, Onerantur exactionibus & grauaminibus inconſuetis, & penè intolerabilibus. Exercentur iniuſtæ & prohibitæ vſuræ, &

ne quis vſuræ nomine, malè au-
diat, quod per ſe odioſum eſt, exco-
gitantur mille modi, quibus ſub ſpe-
cie iuſtitiæ, iniuſtiſsimæ vſuræ ex-
ercētur. Emit miſer aliquis ruſticus
pondo frumenti, ſed ea conditione,
vt ſequenti anno duplum reſtituat.
Fertur alicubi mutuo dari centum
daleros, ſed reddi ſyngrapham, de
centum viginti mutuo acceptis,
quadriennio exacto ſoluendis, ſed
hoc quid aliud eſt, quàm velle Deo
fucum facere?

2. Nec iniuriam facite peregri-
no, pupillo & viduæ.

ALTERVM eſt, quod in
vitæ emendatione requiritur, ſub-
uenire peregrinis, pupillis & vi-
duis. Sunt enim hi potiſsimùm in-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1128 8° copy 1

iuriæ expoſiti. Et ſæpe repetitur hoc mandatum, in Moſe & Prophetis, addita etiam grauiſſima comminatione, veluti Ex: 22, Aduenam non contriſtabis, neq; affliges eum, viduæ & pupillo non nocebitis: Si læſeritis eos, vociferabuntur ad me, et ego audiam clamorem eorum, et indignabitur furor meus, percutiamq; vos gladio, & erunt vxores veſtræ viduæ, & filij veſtri pupilli. Hæc comminatio, cùm alios omnes, tum verò orphanorum & viduarum tutores maximè mouebit, vt ſeriò cogitent, iniurias quibus ipſi afficiuntur, pertinere ad Deum iudicem & vindicem, ſicuti dicitur Deut: 10. Deus facit iudicium pupillo & viduæ, amat peregrinum, &c. Et Pſ: 146. Do-

minus

minus cuſtodit aduenas, pupillum & viduas ſuſcipiet.

3. Et ſanguinem innocentem non effundite in iſto loco.

TERTIVM eſt, quod in vitæ emendatione requiritur, vt abſtineant ab iniuſtis cædibus. Verùm quanti nunc fiat à nonnullis, humani ſanguinis effuſio, etiam nulla prorſus cogente neceſsitate, teſtantur triſtiſsima & quotidiana ferè homicidia. Quid? quòd ea appareat effrenis multorum petulantia, vt non pluris faciant hominem occidere, quàm canem. Interim tamen videat pius Magiſtratus, ne fuco aliquo iuſtæ tutelæ deceptus, ad iniuſta homicidia conniueat, ſuaq́ facilitate, alijs peccandi feneſtram

aperiat, & ſe ipſe commißi ſceleris participem reddat.

4. Et poſt Deos alienos non ambulate,

QVARTVM eſt, in quo vitæ emendatio conſiſtit, vt relicta omni idololatria, vni Deo adhæreant. Hoc peccatum, licet pauci noſtrum agnoſcant, tamen metuendum eſt, ne permulti eius rei inueniantur. Quotumquemq; enim inuenias, qui vera fide ſic Deo adhæreat, vt non maiorem ſpem & fiduciam, in opibus, diuitijs, multitudine & potentia amicorum, & alijs præſidijs humanis, licet ficulneis, quàm in vno vero Deo collocet? Num omnes, qui Euangelici haberi volunt, ab omni prorſus idololatria ſunt alieni? Non certè videntur,

præſer-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1128 8° copy 1

præſertim cùm etiam hodie alicubi inueniri dicantur, quos non pudet palàm in templis, ſuas habere imagines, quas ſericis veſtibus ornant, & ijs candelas accendunt. Et quem quæſo Deum colunt, qui veneficijs & malis artibus cupiunt diteſcere? Sed longum foret, ſingula enumerare, quibus Deum negamus, licet ore eum fateamur. Deſcendat autem in ſe quiſq;, & animaduertens aut hæc, aut alia vitia, cum voluntate & lege Dei pugnantia, non perſeueret in delictis contra conſcientiam, quod ſine magno eius malo, fieri nullo modo poteſt, ſed maturè reſipiſcat, emendando vitam & mores ſuos, neq; quicquam de Diuina miſericordia, fauore et beneuolentia dubitet, ſed certa & indubitata fide, De

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1128 8° copy 1

de, Deum ſibi propitium futurum ſtatuat, quemadmodum tertia doctrina, quæ ſequitur, perſpicuè oſtendit.

DE TERTIA Doctrina.

HÆc eſt inſignis et præcipua doctrina, continens dulciſsimam promiſsionem, de præſentia Diuina, quam etiam nobis firma fide applicemus, certò ſtatuentes, Deum nequaquam velle nos, propter commiſſa peccata abijcere, ſed ſeriò pœnitentes, vitamq́ꝫ & mores emendantes, in gratiam recipere, & ita quidem, vt dignetur nobiſcum habitare, neqꝫ hoc ad breue aliquod tempus, ſed in perpetuum, ita vt nullo vnquā tempore nos deſerat. Simi-

les

les promiſſiones extant in Moſe, Leuit: 26. Ego domicilium meum inter vos collocabo, & anima mea non reijciet vos, Ego ambulabo inter vos, &c. Num: 25. Ego ſum Dominus omnipotens, habitans inter filios Iſraël. Et repetuntur hæ promiſſiones à Chriſto, Lu: 14. Si quis me diligit, &c. Et à Paulo, 2. Cor: 6. Vos enim eſtis templum Dei viui, &c.

Aſpicientes igitur fœditatem noſtram, & ſordes, quibus multis ac varijs modis nos polluimus, non quæramus folia fici, quibus ſordes noſtras tegamus, ſed eas potiùs coram Deo detegamus, accuſantes noſtrum ſtuporem, qui ſine vllo ſenſu iræ Dei aut metu pœnarum, peccatis ſecurè indulgemus: Neq; ta-

men deſperemus, propter peccato-
rum vel multitudinem vel ma-
gnitudinem, ſed renunciantes
omnibus vitijs & prauis concu-
piſcentijs, vitamq́ & mores no-
ſtros emendantes, vero non ſimula-
to cordis dolore, ad Deum acceda-
mus, nec quicquam de paterno eius
fauore dubitemus, ſed freti dulciſſi-
ma hac promiſſione, quæ propter
maiorem certitudinem, bis in hac
tam breui concione repetitur, certa
& indubitata fide ſtatuamus, nos
eum perpetuò præſentem habituros
cohabitatorem, in cuius ſinum, cor
noſtrum tutò effundere licebit, nihil
dubitantes, quin preces noſtras,
quas in nomine Filij, coram eo
fundimus, clementer ſit
exauditurus.

CON-

CONCIO TERTIÆ Diei.

1. Timoth : 2.

ADhortor igitur primum omnium, fieri deprecationes, petitiones, interceſsiones, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in eminentia ſunt, vt quietam & tranquillam vitam degamus, in omni pietate & honeſtate. Hoc enim bonum & acceptum eſt coram Deo ſeruatore noſtro, qui vult Omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire.

ENARRATIO.

AVdiuimus hactenus ex duabus, iiſdemq́ grauiſsimis Prophetæ concionibus: ex priore quidem, neminem eſſe, qui Peccatorum numero, ſeſe eximere poſsit, ſed omnes peccati reos eſſe, adeò vt neceſſe ſit, vnumquemq́ in conſpectu Dei, ſe peccati reum agnoſcere, qui ſub externa & fucata ſpecie pietatis, perfricta quaſi fronte, et abſq́ vllo, vel ſenſu vel metu, iræ & vindictæ Diuinæ, multiplicibus ſceleribus, ſe miſerè polluerit: Ex poſteriore verò, Deum, que eius eſt φιλανθρωπία, nullius delectari interitu, ſed cùm diues ſit in miſericordia, Omnes ad vitæ morumq́ emendationem inuitare, addita grauiſsima ſi-

ma ſi-

ma ſimul comminatione, & dulciſſima promiſsione. Contumacibus enim & impœnitentibus, perſeuerantibus in atrocibus delictis, iuſtas pœnas denunciat: Alÿs verò, ſeriò pœnitentibus, vitamq́; & mores ſuos emendantibus, propitium ſe futurum pollicetur, & ita quidem, vt perpetuò præſentem eum ſibi cohabitatorem habituri ſint. Non debent igitur præterita peccata, quantumuis magna & enormia, nos à Deo arcere, ſed in vero Dei timore, nouitati vitæ ſtudeamus, nec quicquam dubitemus, de præſentia Dei, quin potiùs ſtatuamus, eum verè præſentem nobis adeſſe, noſtraſq́; preces, quas veris cordis gemitibus, veraq́; fide ad eum fundimus, benignè exaudire, Quare nunc commodè

Eccle-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1128 8° copy 1

Eccleſiæ proponitur hæc Apoſtoli concio, de Oratione, in qua primùm, quatuor diſtinctas precationum formas recitat. Deinde oſtendit pro quibus orandum ſit, additis ſimul grauiſsimis rationibus, cur Magiſtratus potiſsimùm, aſsiduis piorum precibus, Deo commendari debeat. Poſtremo loco, addit inſignem doctrinam, de gratia Dei, quòd ea ſit vniuerſalis, & ad omnes credentes pertineat. Sed quia hæ doctrinæ, proximis ſuperioribus annis, aliquo modo ſunt explicatæ, non iudicaui opus eſſe, eadem nunc repetere.

Moueat autem nos, quæ multis in locis, triſtiſsima eſt calamitas, vbi non ſolùm bellis & inſidijs omnia turbantur, verùm etiam quo-

rundam

rundam inutilibus contentionibus et certaminibus, maxima ſeminatur diſcordia, qua pax & tranquillitas Eccleſiarum & Scholarum, non ſine ſummo piorum omnium dolore, & magno veræ Religionis impedimento, miſerè turbatur. Ac ſeriò oremus Deum, Eccleſiam ſuam in hiſce Regnis & Ducatibus, in hoc tam fœlici, & tranquillo ſtatu, clementer conſeruet: vniat animos docentium & diſcentium in Eccleſijs & Scholis, vt veræ pietatis & concordiæ amantes, vnum ſint in eo, vnum velint, vnum faciant.

Conſeruet Regem noſtrum clementiſſimum, verum Eclleſiæ nutricium, vt in vero Dei timore, & ſubditorum amore, piè & ſapienter

omnia

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1128 8° copy 1

omnia adminiſtret, ne vnquam, arte aliqua circumuentus, à vero pietatis & iuſtitiæ tramite deflectat, ſed vt Diuino præſidio, ab omnibus Diaboli et organorum eius inſidijs, clementer liberatus, ita totam ſuam gubernationem inſtituat, vt Deo grata, Eccleſiæ & Scholis, Regnis & Ducatibus, eiuſq; Maieſtati, ac toti Regiæ poſteritati, vtilis ſit & ſalutaris.

Conſeruet illuſtriſsimam Reginam, ſummæq; ſpei & indolis, iuniorem Principem, Cæteroſq; liberos Regios, Prudentiſsimum Regni Senatum, omneſq; Regis Conſiliarios, florentiſsimam Nobilitatem, Subditos, deniq; nos Omnes, vt ſæuiſsima hac peſte, alijſq; certiſsimis & infallibilibus iræ Diuinæ

ſignis

ſignis commonefacti, exuſcitemus nos, ne bonitate & longanimitate Dei, ad impiam ſecuritatem, & quorumcunq; ſcelerum impunitatem confirmandam, non ſine noſtro magno malo, ſceleratè abutamur: Sed vitam noſtram & mores noſtros emendemus, Deumq́; ardenter, & veris cordis gemitibus oremus, ne tanta, tamq́; inæſtimabilia dona ſua, quibus hæc Regna, multis nunc annis cumulauit, propter noſtram ingratitudinem, à nobis auferat, ſed vt benignè, etiam in poſterum, eadem nobis conſeruet, præſenteſq́; ac imminentes pœnas, ab hiſce Regnis & Ducatibus, clementer vel auferat, vel mitiget, vt quietam & tranquillam

vitam,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1128 8° copy 1

vitam, in omni pietate & honeſtate degentes, ipſum cum Filio & Spiritu Sancto, in hac & futura vita, perpetuis laudibus celebremus.

AMEN.

ORDI-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1128 8° copy 1

ORDINATIO PRECATIONVM,

Epiſtolarum & Euangeliorum, quæ ſingulis diebus recitabuntur.

PRIMÆ DIEI PRECATIO *ſiue* COLLECTA.

O Naadefulde oc Barmhiertige Gud/ oc alſomkieriſte Fader / du ſom ved din hellige oc Kongelige Prophete Dauid / haffuer ſelff befallit / at

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1128 8° copy 1

ſwi vdi all voris nød oc
trang / ſkulle paakalde
dig / oc haffuer loffuet oſſ
din Faderlige hielp: Wi
arme Menniſke / komme
for dit Anſict / oc aff hier-
tet bekiende voris groffue
oc mangfoldige Synder
oc laſter / vdi huilcke ſwi
her til haffuer Leffuet
haardnackelige / foruden
nogen aluaarlig Poeni-
tentz / vnder it falſkt hel-
ligheds ſkin / Du haffuer
hiemſøgt diſſe Land oc
Riger /

Riger / met din retfærdi-
ge heffn oc ſtraff / oc nu
met denne languarinde
oc gruelige Peſtelentze /
huor aff wi dog for voris
hierters hordheds ſkyld /
intet forbedris: Wi Be-
de dig O Naadefulde
Gud / forbarme dig off-
uer oſſ / oc tag diſſe haar-
de Sten hierter fra oſſ /
At wi maa finde oc kien-
de din retfærdige Vredis
ſtore oc atſkillige plager /
oc met en ret Tro Bede

 oc

oc paakalde dig / Saa
vilt du oſſ Naadelige
Bønhøre / oc ſtille denne
languarinde Peſtelentze /
ſom er optend i diſſe Land
oc Riger / At wi maa ſee
oc kiende din Faderlige
hielp / oc altid loffue oc
priſe dig / ſom en Naadig
oc Barmhiertig Gud oc
Fader / ved din Eniſte oc
Elſkelige Søn / Jeſum
Chriſtum vor Her-
re / Amen.

LO-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1128 8° copy 1

LOCO EPIST: IER: 5.

Circuite per vicos Ieruſalem &c.

EVANG: Lucæ 3.

Initium: Dicebat ergo ad turbas.
Finis: Omnis ergo arbor.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1128 8° copy 1

Collecta.

O Almectige/Euige/Barmhiertige Gud / oc Naadige Fader / Du ſom ſelff ved din hellige Prophete/ haffuer obenbarit oſſ / din gode Guddommelige oc Faderlige vilie/ at du icke vilt nogen Synderis død/men at hand ſkal omuende ſig oc leffue: Wi arme Menniſke bekiende din retfærdige

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1128 8° copy 1

vige Vredis heffn oc
ſtraff / huilcken wi met
voris mangfoldige Syn-
der/ haffuer opuact off-
uer oſſ: Wi Bede dig O
naadige Fader / du vilt
røre voris Sind oc hier-
ter/met din hellig Aand/
at wi met en aluaarlig
Poenitentze / maa om-
uende oſſ til dig / Frycte
oſſ for din retfærdige vre-
de/oc rætte oc bedre voris
Syndige leffnit: Du
vilt Naadelige ſkiule all

voris ſwretfærdighed / met din kiere Søns Jeſu Chriſti Hellighed oc ret-færdighed/ At wi maa være dine kiere Børn/ oc altid foruente din Fader-lige hielp / oc Naadelige beuaris fra all fare oc wlycke / formedelſt din Guddommelige beſker-melſe / ved den ſamme din Elſkelige Søn/ Je-ſum Chriſtum vor

HERRE/

Amen.

LOCO

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1128 8° copy 1

LOCO EPIST: Ier 7.

Hæc dicit Dominus exercituum &c.

EVANG: Ioh: 4.

Initium: Patres noſtri in monte hoc adorauerunt, &c.

Finis: Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & Veritate.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1128 8° copy 1

Precatio.

O Almectigſte eni-
ge Gud/ ſom eſt
Rig vdi Naade
oc Barmhiertighed / oc
ved din Elſkelige Søn /
haffuer loffuit oc tilſagt
oſ/at huad wi Bede vdi
hans Naffn/ det vilt du
oſ naadelige giffue: Wi
Bede dig O naadige Fa-
der/du vilt forlade oſ al-
le vore Synder/oc Naa-
delige beuare oſ dit helli-
ge oc ſalige Ord/ oc Ord-
ſens

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1128 8° copy 1

ſens tienere i en Chriſten
Enighed oc Samdrectig-
hed/ Du vilt ſee naadelige
til voris Naadige Herre
oc Konge / Kong Frede-
rich/ hans Naadis hoy-
borne Førſtinde Dron-
nig Sophia / Den vnge
Herre / oc de andre deris
Elſkelige Børn/ at de met
Menige Danmarcks oc
Norgis Rigers Raad oc
Adel/ oc all anden Chri-
ſten Øffrighed / forme-
delſt din Guddommelige
beſkyttelſe oc beſkermelſe/

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1128 8° copy 1

maa naadelige beuaris
fra denne farlige Siug-
dom / oc all anden fare
oc vlycke: Du vilt rege-
re alle deris Raad oc An-
ſlag/til dit hellige naffns
ære/ oc naadelige beuare
voris Naadige Herre oc
Konge vdi din ſande
Fryct/ Du vilt begaffue
hans N: met ræt viſſ-
dom oc forſtand / oc alle
andre Kongelige dyder/
Du vilt beuare hans N:
fra alle onde oc falſke
Raad-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1128 8° copy 1

Raadgiffuere / oc alle
andre hans N: Fiender
oc wuenner / himmelige
oc obenbare / Du vilt
giffue hans N: it lang-
uarinde / Lyckſaligt oc
Fredſommeligt Rege-
mente/ſaa at wi met alle
andre hans N: Vnder-
ſaatte/kunde leffue it Ro-
ligt oc Fredſom̄eligt leff-
nit / vdi all Gudelighed
oc Erlighed/ved din Eni-
ſte/Elſkelige oc Enbaarne
Søn/ Jeſum Chriſtum
vor HRRE Amen.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1128 8° copy 1

EPISTOLA 1. *Tim*: 2.

Adhortor igitur primum, &c.

EVANG: *Lucæ* 18.

Initium:	Dicebat autem & Parabolam, &c.
Finis:	Quia citò faciat vindictam eorum.

COM-

Commonefactio

de Pſalmis, qui diebus precationum, in Eccleſia Hafnienſi, vſitatè canuntur.

1. Pro Introitu canitur Pſalmus aliquis pœnitentialis: O HErre Gud benaade mig/ vel: Aff dybſens Nød/etc.
2. Canitur Kyrie, quod breue vocamus.
3. Recitatur Collecta & Epiſtola.
4. Canitur: Fader vor vdi Himmerig.
5. Recitatur Euangelium.
6. Canitur: Nu Bede wi den Hellig Aand.

Concione

finita.

1. Recitantur Litaniæ.
2. Recitatur eadem Collecta, quæ ante Epiſtólam.
3. Adduntur duæ cantiones.

Forla

Forlæ oſſ med Fred Naadelig / etc. Gud giffue vor Konning oc all Offrighed/etc.

4. Peragitur communio. Et interea canitur : O Guds Lam/etc. Et aliæ Cantiones conſuetæ, pro numero communicantium.

5. Recitata vltima benedictione, Canitur : Beholt oſſ HErre ved dit Ord.

Atq; ſimili modo, miniſterium ſingulis diebus peragitur, niſi quòd Collectæ, Epiſtolæ & Euangelia variant.

1. Cor : 14.

Omnia verò decenter & ordine fiant.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1128 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1128 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1128 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1128 8° copy 1